568830-
568831
kat.komp.
BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS
Mag. St. Dr.
II

N°
2.
13.6.
3

Contenta.

1. Czarownica Powolana. etc:
2. Instructio circa Judicia Sagarum. etc.

B V J C
568830 –
568831
II

2.50.

568831
II

INSTRUCTIO CIRCA JUDICIA SAGARUM,

Judicibus eorumque Consiliariis accommodata.

ROMÆ primùm 1657.

Nunc iterum pro bono publico ✠

ANNO M. DC. LXXXII.

Edita

Permissu Superiorum.

GEDANI,

Imprimebat SIMON REINIGER.

✠ [Cura
Matthaei Godinski
Praepositi Złotoviensis.]

INSTRUCTIO ROMANA.

Pro formandis processibus in causis Strigum, Sortilegiorum, & Maleficiorum.

EXperientia, rerum Magistra apertè docet gravissimos quotidie comitti errores in formandis processibus contra Striges, sive lamias, & maleficas, in notabile præjudicium tam justitiæ, quàm hujusmodi mulierum inquisitarum, ita ut in Sanctæ Romanæ, & universalis inquisitionis adversus, hæreticam pravitatem Generali Congregattone longo tempore observatum fuerit, vix unquam repertum fuisse, aliquem processum simílem rectè, & juridice formatum; immò plerumq; necesse fuisse quàm plures judices reprehendere, ob indebitas vexationes, inquisitiones, carcerationes, necnon diversos malos, & impertinentes modos, habitos in formandis processibus, Reis interrogandis, excessivis torturis inferendis, ita ut quandoq; contigerit injustas, & iniquas proferti sententias, etiam ultimi supplicii, sive traditionis brachio sæculari, & re ipsâ compertum est, multos judicies ita faciles & proclives fuisse ob leve, aut minimum indicium credere aliquam mulierem esse strigem, & ideò nihil omninò prætermisisse, ut ab hujusmodi muliere etiam modis illicitis talem confessionem extorquerent, cùm tot tamen tantisq; in verisimilitudinibus, varietatibus, & conrrarietatibus, ut super tali confessione nulla, aut modicalis fieri posset. Qua propter ut Judices de cætero magis cauti esse possint, in conficiendis hujusmodi processibus infra scripta diligenter, & accuratè præ oculis habeant, & considerent.

Corpus delicti, seu crimen habeatur.

ERror principalis, & peculiaris omnium ferè judicum in hac materia est, devenire nedum ad inquisitionem & carcerationem, sed sæpè etiam ad torturam, contra aliquam mulierem de maleficio imputatam, quamvis non eonstet de corpore delicti, sive maleficii, & tamen in jure indubitatum est ad tales actus deveniri minimè posse, nisi prius de hujusmodi corpore constet, cùm agatur de delicto, cujus vestigia remanent.

Infirmi-

Infirmitas ex maleficiis regulariter non venit.

CORpus autem delicti nou dicitur probatum, prout multi Judices videntur præsupponere, ex eo, quòd prætensus maleficiatus sit vel fuerit infirmus, sive decesserit. Clarum est enim, quòd infirmitas, & mors regulariter ex maleficio non provenit: Ideò oportet exquisitas diligentias judiciales adhibere, examinare Medicos, qui infirmum curârunt, illos diligenter interrogando de qualitate infirmitatis, & an ex arte Medicinæ dignoscere possint infirmitatem esse, vel esse posse naturalem, illos etiam interrogando circa totam seriem & accidentia ipsius infitmitatis à principio: omnia fusiùs in processum redigere ad hoc, ut si forte aliquis Medicus per imperitiam (prout multoties evenit) nescivisset qualitatem morbi judicare, & propterea judicâsset non esse naturalem, sed ex maleficio provenire, alius Medicus magis peritus habita notitia omnium accidentium ejusdem infirmitatis, licet infirmum non viderit, possit dignoscere, an talis infirmitas ex morbo naturali, necne provenire potuerit. Et ulterius maximè congruum esset, ad eundem effectum, judicialiter examinare familiares infirmi, pro habenda notitia principii infirmitatis, & ejus progressus; ex hoc enim apparebit, an conveniant depositiones Medicorum & familiarium circa accidentia infirmitatis, & sic tutiùs poterit ferri judicium à Judice, an constet de corpore maleficii. Quodsi ex hujusmodi diligentiis Judici apparebit infirmitatem esse, vel fuisse naturalem, procul dubio procedere non debet contra accusatam de tali maleficio. Si verò Medici periti clare judicaverint esse, vel esse posse probabiliter maleficium, tunc Judex securiùs cogitare poterit de inquisitione formanda contra accusatam.

Judex non sit facilis ad carcerationem.

INsuper antequam Judex deveniat ad carcerationem prætensæ Maleficæ, debet diligenter rimari cuncta indicia, quæ sunt contra illam, neque ex sola denuntiatione prætensi maleficiati, & ejus attinentium esse facilis ad carcerationem, nisi simul allegetur aliqua probabilis causa ob quam animus Judicis rationabiliter moveri possit ad credendum, quòd mulier accusata tale maleficium committere voluerit, &

ejusdem causæ aliquam probationem, vel saltem, non leve indicium habeat, antequam ad carcerationem deveniat.

Domus accusatæ diligenter lustranda. Oleum repertum in vasculis & similia, quomodo consideranda.

ADvertat præcipuè Judex, in ipso actu carcerationis diligentem facere perquisitionem in domo mulieris inquisitæ, & talem perquisitionem per seipsum, aut vicarium idoneum faciat, adhibito Notario ac testibus, nec hujusmodi per quisitioni interveniant personæ attinentes, aut familiares prætensi maleficiati, ne contingat, prout aliquando suspicatum est, dolosè aliquâ supponi maleficium denotantiâ, in grave præjudicium Reæ inquisitæ, & indicta perquisitione annotentur diligenter per Notarium omnia reperta in domo & capsis, & non solùm quæ possunt juvare intentionem Fisci, sed etiam quæ possunt juvare Ream inquisitam, prout imagines Sanctorum, Corona, Divina officia, Libri devotionum, Schedulæ Communionis, aqua, & palmæ benedictæ, & alia similia, singillatim illa describendo in Inventario perquisitionis conficiendo. Nec sint faciles Judices ad firmiter credendum aliqua reperta, prout olim in vasculis, pingvedo, pulveres, & similia esse aptata ad maleficium, sed faciant illa considerari à peritis ad effectum, ut dignoscatur, an deservire possint ad alium finem quàm maleficii.

Involucra in lectis non sunt signa maleficii, vel acus inventæ.

MUltoties evenit, quòd familiares prætensi maleficiati, credentes maleficium per quirunt intus anaclinterium, cervical, & pulvillos lecti ipsius infirmi, & cum inveniant involucra, quæ videntur ad maleficium aptata, illa deferunt ad Judicem, qui super hoc maximum facit fundamentum ad effectum probandi maleficium, & in hoc debet esse multùm vigilans, & circumspectus Judex; facilè enim evenire potest, ut talia à familiaribus infirmi supposita fuerint, ut sic faciliùs Judex inducatur, ad credendum maleficium, & ad procedendum contra aliquam personam.

Præter ea Judex benè advertere debet qualitatem repertorum in hujusmodi

jusmodi lectis; cùm enim anaclinteria, & aliqua præfata conficiantur ex pluma, aut lana, & quotidie intermiſceantur & involvantur, dum lectus proſternitur, facilè evenire poteſt, ut ſpatio alicujus temporis fiant quædam involucra, quæ videantur præſeferre ſuſpicionem maleficii, & tamen naturaliter contingere poſſunt, ultra quòd in actu hujusmodi confectionis anaclinteriorum, & aliorum prædictorum ex incuria Magiſtri illa fabricantis, aliqna intermiſceri potuerunt, ex quibus hujusmodi involucra ex ſe confecta fuerint.

Et ideò ſi perquirentur ſingulorum lecti, præcipuè ex pluma confecti, de facili in aliquibus ſimilia in volucra reperientur. Nec etiam eſt mirum, quod in hujusmodi lectis, quandoq; reperiantur acus. Nam ubi ſunt mulieres, acus ubique abundant, & facile eſt, quòd per accidens ſpatio alicujus temporis multæ acus in prædictis mobilibus introcludantur.

Neqne forſan abs re eſt conſiderare Dæmonem aliquando talia ſupponere potuiſſe absque participatione, & aſſenſu alicujus, ut inde credatur maleficium commiſſum, & ſic aliqua perſona indebitè damnum patiatur, quem admodum videmus in actu Exorciſmi nonnullorum obſeſſorum, qui videntur evomere acus, clavos, & diverſa involucra, quæ tamen impoſſibile eſt obſeſſos in corpore habere, prout non habent, ſed Dæmon in illo actu talia ſupponit ad os obſeſſi, ut credatur fortè obſeſſum eſſe maleficiatum, & aliquis inde indebitè moleſtetur. Ex quibus patet, quàm circumſpectus eſſe debeat Judex circa hujusmodi reperta, cùm de facili, vel potuerint ſupponi, vel eſſe naturalia, vel facta opera Dæmonis, ſine alicujus miniſterio.

Dictis obſeſſorum non credatur.

COnſveverunt (parùm quidem prudenter) multi Exorciſtæ, juxta non bonam (quo ad hoc) theoriam FlagelliDæmonum, interrogare Dæmonem in Exorciſmis, quomodo ingreſſus fuerit corpus obſeſſi, & an ex maleficio, & quis hujusmodi maleficium commiſerit. Unde Dæmon, pater mendacii, & inimicus quietis humanæ ſæpè reſpondet, ſe ingreſſum eſſe corpus obleſſi ex maleficio facto à tali perſona, in tali cibo, ſive potu, & ut Dæmon magis certum reddat Exor-

 ciſtam,

ciſtam, & alios de hac re, ſupponit evomenda ab obſeſſo quædam ſimilia ei rei, in qua dixit maleficium factum fuiſſe, & alia pleraque, ut ſupra dictum eſt.

Hinc diverſis vicibus obſervatum fuit, aliquos Judices formare proceſſus contra prætenſos maleficos nominatos à Dæmone, ut ſupra, tanquam ſi ex dicto Dæmonis probentur præmiſſa. Unde ſuper hujuſmodi proceſſibus nulla vis facta fuit à Sacra Congregatione, immò ſemper reprehenſi fuerunt Exorciſtæ, Dæmonem, ut ſupra interrogantes, & Judices, qui ſuper Dæmonis reſponſione proceſſum formârunt.

Aliqui Judices opinantur (& perperam quidem) quòd eo ipſo, quòd aliquis reperitur obſeſſus. Id ex maleficio provenerit, & ex hoc ſolo injuſtè formant proceſſus contra perſonas, aliquo modo obſeſſis infenſas, vel aliunde indiciatas. Hoc eſt maximè abſurdum: cui enim dubium eſt, quòd ſine maleficio ex permiſſione Dei poteſt Dæmon vexare corpus alicujus? Caveant itaque omninò Judices, nè ex ſola obſeſſione Dæmonis conficiant proceſſus ſuper maleficio, imò etiam ſint cauti, ne decipiantur ab aliquibus, qui in præmiſſis impoſturam committunt, & diverſimodè ſe obſeſſos eſſe ſimulant. Sæpè enim hujusmodi impoſtores reperiuntur.

Argumentum famæ quale eſſe debeat?

NOn ſint faciles Judices ad faciendum magnam vim contra aliquã perſonam, uti Strigem & Maleficam, ex indicio famæ; quamvis enim alias famæ indicium ſit magni momenti, attemen in iſta materia ob odium commune, quod habetur in Striges, contra quas omnes unanimiter clamant, facillimè inſurgit hujusmodi fama contra aliquam mulierem, præcipuè quando eſt vetula, & turpis formæ. Unde vel modicum fundamentum ſuper tali fama fiat, vel ſaltem diligens judex intertoget teſtes, à quanto tempore ortum habuerit, & à quibus, & à qua occaſione. Hinc enim forſan ſæpè ex proceſſu apparebit famam eſſe indicium modici momenti.

Sortilegia & incantationes poſſunt eſſe ſine Apoſtaſia formali.

ULteriùs advertendum eſt, quemadmodum mulierum genus eſt maxi-

maximè superstitiosum, & Sortilegiis præcipuè amatoriis deditum non tamen sequi, quod si aliqua mulier Sortilegia, & incantationes, vel ad sananda maleficia, vel ad cogendam voluntatem hominum, vel ad alium quemcunq; finem fecerit, ergo est strix formalis: potest enim esse Sortilegium sine apostasia formali ad Dæmonem, licet non careat suspicione apostasiæ vel vehementi juxta qualitatem Sortilegiorum adnotatam in c. *Accusatus* §. *Sanè*, *De hæret.* in Sexto: & ideò bonus judex dum format processum contra aliquam mulierem confessam, vel convictam de hujusmodi sortilegiis, non sit facilis ad concipiendū in animo suo, quòd sit apostata formalis ad Dæmonem, licèt hoc esse possit, sed quando deveniet ad torturam contra hanc mulierem, illam in genere interroget, an habuerit aliquod pactum cum Dæmone, juxta ea quæ inferius dicentur circa modum torquendi. & ad hoc maximè advertere debent Judices, quia multi in hoc decipiuntur, falsò putantes, quòd hujusmodi sortilegia fieri non possint sine apostasia formali ad Dæmonem; & hinc oriuntur maxima præjudicia mulieribus inquisitis, de hujusmodi Sortilegiis Judices enim minus periti, vel aliàs nimis faciles (ob lecturam aliquando librorum de Sortilegiis & Strigibus tractantium) falso præsupposito decepti nullam viam relinqvunt, etiam indebitam, pro extorquenda confessione mulierum, quæ sæpissimè ob diversos malos, & illicitos modos habitos; tandem inducuntur ad fatendum ea, quæ nunquam cogitarunt.

Ut autem evitentur ejusmodi mali modi ad infra scripta attendant diligenter justi Judices.

Reæ prætensæ separentur.

INprimis (quatenus fieri potest) non permittant mulierem carceratam ob maleficium, aut sortilegium, quempiam alloqui; & si plures reperiantur mulieres carceratæ in materia præmissa, non permittantur simul alloqui, sed retineantur in carceribus separatis: quia sæpè multæ convenerunt falsum fateri contra se ipsas in materia apostasiæ, putantes hac via citiùs à carceribus eximi.

Sæpe spe impunitatis promissæ, & aliis svasionibus fingunt falsa.

NUllo modo curent, neque permittant judices, quòd custos carceris, aut quivis alius ille sit, mulieribus sic carceratis suadeat, quid fateri debeant, cum examinatæ fuerint: multoties enim compertum est, quòd mulieres hujusmodi suasionibus impulsæ, aut etiam spe impunitatis promissæ (quæ tamen nunquam eis promitti debet) fassæ fuerunt id quod nec etiam somniarunt.

Judices nunquam alloquantur hujusmodi mulieres carceratas, circa merita causæ, nisi judicialiter eas examinando.

Inquisitio qualis, ad torturam Advocatus assignandus.

NUllas suggestiones in illis interrogandis omninò faciant, sed ab initio interrogen-

gentur; an sciant, vel præsumant causam examinis, seu carcerationis: deinde de inimicitiis,& de causis inimicitiarum;postea possunt interrogari de cursu vitæ suæ,de frequentatione Sacr. quis fuerit earum Confessarius, & de aliis similibus, ex quibus detegi possit bona vel mala eorum vita & conditio: Deinde in genere possunt interrogari. An sciant aliquod Sortilegium & adquem effectum? & an unquam hujusmodi, aut aliud Sortilegium executioni demandaverint? & si ne gaverint, possunt fieri alia interrogatoria in genere, paulatim eis objiciendo, quod deponitur in processu eas scire, aut commisisse tale & tale Sortilegium. Et tandem si omnia negent, possunt eis in diversis interrogatoriis paulatim objici, quæ in processu contra illas habentur, circumscriptis tamen nominibus & cognominibus testium & circumstantiis, ex quibus ad notitiam devenire possint, qui sint testes & tandem completo processu informativo, si adhuc persistant in negativa, erunt repetendi testes processus offensivi, quæ repetitio ut validè & legaliter fiat, formandi priùs sunt articuli pro parte fisci super capitibus, quæ pro fisco prætendentur, & copia dictorum articulorum danda ipsis inquisitis, assignando eis Advocatum & Procuratorem idoneum, etiam ex Officio, quatenus inquisitæ, vel ob paupertatem, vel alia de causa illos non habeant, eisdemque tempus congruum detur, ad dandum interrogatoria, quo elapso fiat repetitio. Facta repetitione detur eisdem terminus ad faciendas defensiones, deturque copia processus,& factis defensionibus,seu lapso termino ad illas faciendas Judices convocent congregationē consultorū peritorū, in qua per extensum processus legatur, suppresfis nominibus, & cognominibus, & circumstantiis, & si de modo expeditionis causæ non sint concordes, aut causa sit gravis, vel ratione delicti, vel ratione personæ, non deveniatur ad torturam, nisi consulta Sacra Congregatione, ad quam mitti debeat copia integri processus, tam offensivi, quam defensive, & quando videretur judicibus cum voto suæ Congregationis, sine difficultate ad torturam deueniri posse, quia indicia essent urgentia, advertatur ne in ipsa tortura interrogentur inquisitæ de delicto in specie, quod prætenditur, sed tantùm antequam deveniatur ad decretum torturæ, objiciantur eis iterum indicia, quæ in processu habentur, & postea in actu torturæ interrogentur tantùm ut dicant veritatem de iis super quibus fuerunt interrogatæ, & si fateri cœperint, non suggeratur eis aliquid, sed tantum recipiantur, & scribantur verba præcisè earum confesſionis, interrogando postea in genere super ulteriore veritate.

Tortura qualis.

ADvertatur ne tortura detur cum quassis, aut cum aliquo pondere sive baculo ad pedes, sed sit simplex elevatio in torturam funis, aut sit simplex tortura alterius generis tormentorum, quatenus tormento funis torqueri non possint.

Non

Non sint faciles Judices ad repetitionem torturæ, nisi causa sit gravissima, quo casu jam erit consulenda Sacra Congregatio, ut dictum est.

Abrasio pilorum damnatur; Et defectus lachrymarum nil probat.

NUllo modo abradantur aliqui pili aut capilli ipsarum mulierum; nec vim faciant Iudices contra inquisitas in quodam judicio, ab aliquibus Doctoribus considerato, videlicet quando fortasse hujusmodi mulieres (maximè in tortura) non emittunt lachrymas.

Torturæ tempus.

TOrtura nunquam excedat tempus unius horæ, nec de facili per horam tortura inferatur, nisi stante gravitate causæ, & urgentibus indiciis simul, & in fine examinis annotetur tempus quo in tormento manserunt.

Cum fatentibus quomodo procedendum. Aliquando ob timorem torturæ, vel ob alios, respectus falsum fatentur.

MAximè est advertendum, quòd in eventu, in quo hujusmodi mulieres Apostasiam ad Dæmonem, & accessum ad ludos Diabolicos faterentur (quo casu corpus delicti aliunde probari non potest, quàm per propriam confessionem) curandum est sine minima suggestione, ut hujusmodi mulieres, totam seriem facti, à semetipsis recenseant, & quomodo ab initio ad id inductæ fuerint, de tempore, & aliis circumstantiis: nam hoc modo videri poterit, an confessio hujusmodi apostasiæ, & accessus ad ludos, verisimilis sit necné, & casu, quo fateantur aliqua particularia, sive circumstantias, quæ sint verificabilia, omnino judices diligentias faciant pro iis verificandis quia sic magis verisimiles reddentur confessiones circa apostasiam & accessus ad ludos: aliàs si tales circumstantiæ adductæ falsæ comperirentur, dubitari posset de veritate huiusmodi confessionis forsan secutæ, vel vi torturæ, quæ est remedium fallax, vel suggestione alicuius, vel tædio carceris, vel quia sic crederent faciliùs ipsis indulgendum esse, prout aliquando compertum est, diversis istis respectibus mulieres falsò fassas esse apostasiam, & accessus ad præfatos ludos. Et ut faciliùs judices possint se abstinere à quacunque suggestione, quando mulieres incipiunt fateri talem apostasiam, forsan melius esset, ut tunc Iudices obliviscerentur eorum, quæ dicunt Doctores in ista materia, quia sæpè visum est, quòd Judices in ordine ad ea, quæ perlegerunt penes Doctores, multa præjudicia faciunt mulieribus.

Denuntiantibus complices in ludis, non credendum.

ET quatenus tales mulieres fateantur Apostasiam, & accessus ad ludos, & nominent complices in hujusmodi ludis, nullo modo procedatur contra hujusmodi complices, quia cùm talis accessus plerumq; per illusionem contingere possit, justitia non postulat, quòd contra complices cognitos, & visos per illusionem, procedatur.

Interrogatoria in processu exprimenda, & an fuerint suggestiones.

OMnino Judices scribere faciant, in processu interrogatoria omnia per extensum ab ipsis Judicibus facta, ut ex lectura processus appareat qualia illa fuerint, & an adsint suggestiones, cum maximo enim abusu, & præjudicio consueverunt, aliqui judices scribi facere; Ad opportunam interrogationem respondit. Seu alias, Respondit.

Delatoris persona consideranda.

MUlti Judices deveniunt ad formandum processum, nec colligitur ex processu, quale fuerit primum indicium, & unde provenerit, sed processum sic incipiunt. *Cùm ad aures devenerit.* Seu aliàs; *Præcedente fama publica*, &c. Caveant igitur Judices ab isto errore, & semper examinent in principio processûs personam, seu personas, quæ ad aures primò aliquid dixerunt, vel quomodo talis fama ad ejus notitiam pervenerit, & cuncta seriatim in processum redigant, ita ut nihil omnino omittatur.

Infantum Mors in lectis fierì sine maleficio solet.

PLerumque contigere potest, quòd Infantes decedant ex suffocatione in lectis pauperum Matrum, & Nutricum, & obid prohibetur matribus, & nutricibus ne in earum lectis sed in cunabulis separatis infantes retineant, ideo prudentes Judices benè advertant, quia secuta aliquando simili suffocatione, ne illa detegatur; Matres, sive Nutrices propalant infantes occisos à strigibus.

In hujusmodi causis & processibus formandis omnino serventur Taxæ alias transmissæ de mandato Sacræ Congregationis, & quando mulieres præcipuè sunt pauperes, caveant Judices ab earum bonorum expilatione.

R O M Æ,

Ex Typographia Rev. Cam. Apost.

M. DC. LVII.

Huic materiæ Illustrandæ, valdè etiam competit Processus per Vladislaviensem

ensem & Pomeraniæ Diœcesim ab Illustrissimo & Reverendissimo Ordinario datus Anno proximè præterito 1669. Cujus tenor talis est.

CASIMIRUS FLORIANUS,

DUX IN KLEVAN

Czartoryski, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Vladislaviensis & Pomeraniæ.

VNiverso Clero, & populo Diœcesis Nostræ Vladislaviensis, & Pomeraniæ, Salutem in Domino. Multâ experientia variis ac frequentissimis prudentum piorumque virorum testimoniis, ex datis item recenter in publicum Doctorum lucubrationibus, ex ipsa insuper *I*nstructione Romana pro formandis processibus in causis maleficarum A. D. 1657. Edita, edocti sumus; quòd in hisce processibus contra sagas prætensas plurimi errores inveniri soleant, adeò ut (verba s.nt Instructionis Romanæ) vix unquam repertum fuerit Processum similem rectè, juridicè formatum fuisse. Unde sub prætextu justitiæ passim iniquitas, crudelitas, privatarum offensarum vindicta, & summum innocentum præjudicium in fama, & vita involvitur. Multi enim judices delationibus eorum, qui se putant maleficiatos, facilè credunt, quòd infirmitatem ex maleficio cujuspiam certé personæ contraxerint, vel eventus aliquos calamitosos passi fuerint. Et ex tali credulitate, & suspicione temeraria ad incarcerationem & torturas, immo ad *D*ecretum *M*ortis ex Confessione vi torturarum extorta illegitimè ferendum descendunt. Cùm tamen similes morbi & eventus naturaliter evenire potuerint Deo permittente, vel in probationem virtutis, vel in pœnam peccati; & sæpissimé ex ebrietatibus nimiis, ex luxuria, ex ciborum suæ complexioni in quantitate & qualitate improportionatorum immodico usu, aliisvé rationibus, varia intemperies morborum emanet. Hinc plurimi modos illicitos & falsitati obnoxios ad investigandas maleficas adhibent, cujusmodi sunt natationes super aquam, energumenorum interrogationes, aliique similes, vani superstitiosi, & omninò vitandi modi. Accedit, quòd accusatis Magiæ penitus denegetur Advocatus & defensio, illisque indicia contra se allata non indicentur, ne se possint purgare, contra, Jus *N*aturale, quod cuilibet ad crimen sibi objectum defensionem concedit Quidam verò defensionem concedunt ad speciem, in animo tamen conclusum habent perdere illas non obstantibus quibusvis purgationibus, *U*nde nec in Decretis adnotant rationes adductas pro defensio-

ne, ut sic Decretorum suorum iniquitas magis occultetur. Alii passim crudelissimé sine sufficientibus indiciis ad infandas condemnant torturas, in quibus decernendis plurimos injustissimos errores admittunt

1. Sufficere putant solam famam illegitimè probatam ad torquendum, aut solas denuntiationes sagarum, cum tamen si sint sagæ veræ omnino debeant esse innocentibus hostes capitalissimæ & conjuratæ, esse quoque debeant mendacissimæ, uti Patris mendaciorum filiæ aut sponsæ, à quo sæpissimè aut semper illuduntur ut videri à se putent Palatia splendida, convivia lauta, personas varias, quæ re vera non sunt.

2. Non permittunt appellare à Decreto torturæ, quod est contra sensum Iurisperitorum, & posita hac appellatione, Sententia subsequens nulla est, & invalida.

3. Novam rationem torturarum non præscriptam à lege adhibent, in eisque excedunt tempore & intensione, immo eo usque torqueri mandant, donec crimen sive verum sit sive falsum vi torturarum asseratur, talesque de se Assertiones & Confessiones tanquam verissimas summè æstimant.

4. Iniquissimum etiam est, quòd in torturis de complicibus nominatim suggerendo personas interrogentur contra præscriptum legum, nec dimittantur à quæstionibus, donec proclament nominatas à suggerentibus. Nec postea hujusmodi proclamationes revocandi ullus modus restat. Si enim denuntians in torturis personam à se insimulatam postea finitis torturis revocet, iterum torqueri eam mandant, ut in sua prima delatione perseveret. Quodsi ad locum supplicii revocationem ob timorem torturarum repetendarum differat, tali revocationi quasi non fit in loco debito nulla fides datur, cui potissimum esset credendum, utpote in articulo mortis jam statim inevit abiliter suscipiendæ. Ita insontibus proclamatis vi torturarum non est ratio vel modus famam recuperandi, ex taliqùe processu insõntes rogo adjudicantur.

5. Scelestissimè & illi faciunt, qui repetunt sine novis indiciis torturas, & sine argumentis evidentioribus prout requiritur quàm ad primam torturam fuerint. Et sunt qui discontinuant torturam in plura diversa, tempora durissimo crudelitatis invento, has enim discontinuationes pro una habent tortura.

6. Impium quoque est quod ex torturis immanibus mortuas in carcere, nondum de crimine fassas nec convictas Ecclesiastica sepultura privant, & sub patibulo ignominiosissimè sepeliunt.

Principalis autem fons talium errorum est, quod à rudibus hominibus, qui literas vix aut modicè norunt, judicia maleficarum exercentur, sagæ dignoscuntur, similes his redarguente S. Paulo 1. *Tim.* 1. *Volentes* (inquit) *esse Legis Doctores, non intel-*

intelligentes neque quid loquuntur, neque de quibus affirmant. Cum negotium hoc ſit difficillimum, & id quod putatur eſſe maleficium posſit fieri aliqua naturali de cauſa. Ex tali autem imperitia judicum, quám æqua & diſcreta Decreta ferantur, quisque prudens conjicere poteſt, & intelligere; an judicia his committentes, vel ex officio ſuo non impedientes, æquali ac ipſi Iudices crimine non ſint obligati.

His itaque ex certa ſcientia habitis conſcientiæ animarum & injuſtæ cædi plurimorum obviare ſolicitè ſatagentes, ne ſangvinem animarum Deus de manibus Noſtris requirat, pro officio Noſtro Paſtorali ſtatuimus & ordinamus.

Quandoquidem Exorciſtæ, aut potiús Sancto Exorciſtarum munere plerique abuteutes, ſimilium errorum interdum ſunt authores, non adhibendo debitam formam ab Eccleſia in Rituali ad exorcizandum præſcriptam, ſed ſuis adinventionibus, murmurationibus, figurarum erectionibus, maleficas, & ipſa maleficia quaſi à ſe cognita promulgando, ritus inſalitos in balneis, tricliniis, thalamis adhibendo, de quibus poteſt dici illud S. Apoſt. ad *Tit.* 1. *Univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* Cupientes ergo extirpare hunc abuſum, exorciſmorum, aliàs ab Eccleſia piè, & ſanctè inſtitutorum, ſeverè & in Virtute Sanctè Obedientiæ præcipimus ne quis ad exorcizandi munus in Diœceſi noſtra accedere præſumat niſi á nobis ſpecialem in ſcriptis facultatem obtinuerit, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrenda. Quodſi in Parochia aliqua non approbatus á nobis Exorciſta quicunque comparuerit; *P*arochus loci illius omnino, ſub gravi conſcientiæ vinculo, tenebitur illum ad Officium noſtrum deferre: Populum verò publicè edocere, quod ad ejusmodi *E*xorciſtam confugere ſit á nobis ſerió in hibitum, prout hiſce graviſſimè inhibemus. Et præfatos Exorciſtas obedire detrectantes etiam cum auxilio ſæcularis brachii (ubi opus fuerit) capiendi, & coram Officio noſtro præſentandi Reverendis *D*ecanis vicinioribus facultatē concedimus.

*I*udicibus autem quibuscunqne in noſtra Diœceſi exiſtentibus omninó inhibemus, nè ex ſolis denuntiationibus ſagarum prætenſarum, vel ex fama à levibus fundamentis oriri ſolita, nec aliunde legitimè probata, contra proclamatam ſeu denunciatam torturas decernere audeant. *I*tem ne ex ſupernatationibus ſuper aquas (quam probationem ut olim ab Eccleſia prohabitam etiam interdicimus) neqne ex interrogationibus obſeſſorum, à Dæmone, vel aliis probationibus incertis & futilibus, captivationi etiam & incarcerationi ullas perſonas addicant. *S*tatuimus inſuper, nè etiam ad torturarum *D*ecretum procedant irrequiſito Officio noſtro, immò cauſam maleficiorum ad cognitionem noſtram remittant neque jurisdictionem nobis debitam ſibi uſurpare audeant: cum expreſsè ſtatutum legum *P*olonarum, An. 1543. cauſam *I*ncantationis & Magiæ ad judicia ſpiritualia pertinere velit &

 ſtatuat,

ſtatuat. Sed & contra rationem nimis præjudicioſa & noxia conſvetudo, ſeu potiús abuſus ſit, á Magiſtratibus civitatum, oppidorum, & villarum, hæc delicta judicari quæ ab ipſis diſcerni nequeunt. Ita faciliús erroribus iniquiſſimis obviabitur, per quos plurimi inſontes, velut triticum dum pauca zizania colliguntur, ab imperitis judicibus ſimul in fama & vita eradicantur. Ne verò tam ſceleſtum & horrendum crimen magiæ impunitum, quod nolumus, maneat: liberum erit Magiſtratui ſæculari, poſt accuratam & à multis ſimul Theologis ad id convocatis reſolutionem datam coram Officio noſtro, an crimen objectum, ſit Magia vel non? vel ſit ſola ſuperſtitioſa & vana obſervatio, contra reos, juxta tamen præſcriptum legum, procedere, eisque pœnas debitas infligere

Noverint autem Judices ſi contra hujus inhibitionis noſtræ tenorem facere auſu temerario præſumpſerint loco juſtitiæ graviſſimam injuſtitiam & iniquitatem ſe commiſſuros, & Excommunicationem latæ ſententiæ incurſuros. Cui Inhibitioni noſtræ ut ſatisfiat, Parochi in ſuis Parochiis invigilare tenebuntur, noſtrosque Officiales certos reddere, ſi quid a quopiam contra actum fuerit. Optamus denique & hortamur omnes Judices, quos feryens zelus juſtitiæ urgere videtur, ut pro ratione Officii ſui, juſtitiam vindicativam contra crimina, non tam occulta & abſtruſa, probatuque difficillima; quâm potiús in menifeſta & publica, & paſſim obvia exerant. Ut ſunt, Homicidia publica, Pauperum ſubditorum, immo & aliorum Furta, Rapinæ, Fraudes in mercimoniis, Falſifiationes novilentorum, & aliorum vendibilium, ſive Victui ſive amictui ſervientium, Adulteria, Stupra, Oppreſſiones inopum iniquæ, Ebrietates, & Luxuriæ, multorum Maleficiorum putativorum cauſæ, & his ſimilia: quæ faciliús ſine periculo tot errorum probari, & dijudicari poſſunt. Turpe equidem eſt prætermiſſis certis & publicis ſceleribus impunitis, occulta quærere; cum priùs illa ſint tollenda, & vindicanda. Quæ ordinationis Noſtræ literæ ut ad notitiam omnium pervenire poſſint, injungimus Reverendis Decanis noſtris Foraneis, eas more ſolito Cur ſorio tranſmitti, & ad Eccleſiam quamlibet Parochialem unum exemplar à ſingulis Parochis deſcriptum, affigi & retineri procurent; quó diutiús in memoria hominum conſerventur. In quorum fidem haſce manu noſtra ſubſcripſimus, & Sigillo muniri mandavimus, Smarzevitiis 11. April. 1696.

Caſimirus Florianus
Czartoryski Epiſcopus Vladislavienſis & Pomeraniæ

L. S.

SEN-

SENTENTIÆ ET REGULÆ QUEDAM JURIS.

1. IN quibuscunque criminibus etiam exceptis, quale Sagarum, non est licitus ullus processus extraordinarius, qui rectæ rationi adversatur. *Jus naturæ.*

2. Quantò crimen est gravius, tantó indicia debent esse vehementiora. *Cap.* ubi periculum: *de Elect. in 6.*

3. Si duæ invicem contrariæ præsumptiones concurrunt, v. g. delicti & innocentiæ, præferenda semper præsumptio exclusiva delicti, etsi indicia debiliora essent pro innocentia. *Communis Jurisp. ex Farinaceo* qu. 38. n. 112.

4. Satiùs est nocenti parcere, quam simul innocentes perdere. *Lex Evang. de Zizaniis.*

5. Plangendum rigandumque est fontibus lachrymarum, cum Judex tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret torserat. *August. de Civit. Dei l. 19. c. 6.* Plura ibi ille de incerto argumento ex tortis sumpto.

6. Si quis ad torturam illegitimè adjudicatus fatetur crimen & ratificat illud, nil ei id obesse debet, si deinde innocens esse comprobetur. *Baldus, Marsilius, & alii.*

7. Ad evitanda gravia tormenta reus sibi non potest imponere falsum crimen, sine noxa mortalis culpæ, etsi inde morte plectendus sit. *Ita Theologi passim.*

8. Ad torturam semiplenæ probationes requiruntur, id est tales, ut vere seu quasi moraliter certum sit ipsum authorem esse criminis, qui hujusmodi probationibus urgetur, nilque deesse videatur ad plenam certitudinem, quam sola illius confessio. *Ita lex 1. de Quæst.* v. *Prosperum Farinaceum &c.* Unde si plene convictus reus torqueretur, peccat Judex.

9. Fama Criminis non probat, sed accusat. *Axioma commune Juris.* Ut sit fama indicium magni momenti, debet judicialiter probari per legitimos testes an sit orta ex firmo aliquo fundamento, nec manasse ex rixis, odio, & invidia.

10. Inimici Capitales rejiciuntur à testimonio. Item infames, perjuri, viles, & suspecti de mendacio. *Jus naturæ.* Quomodo enim talibus credendum?

11. In criminalibus ad condemnationem capitis, non probabiles, sed urgentissimæ, & luce meridiana clariores probationes sint. *Communis doctrina Juris peritorum.*

12. Scelera publica & obvia non punire, occultissima autem viis incertis inquirere, zelus imprudens est. *Ita lex rationis & justitiæ.*

NOTANDUM.

SI quis voluerit pleniorem habere eruditionem & notitiam in causis & processu Sagarum prætensarum, & quanti, seu quam absurdi errores, rationiq; rectæ difformes in his judicandis evenire soleant, legat librum dictum, Powolána Czarownicá *Posnaniæ 1639. editum. Potissimè verò avidus sciendi lector, commendatum in hoc negotio habeat librum,* CAUTIO *Criminalis, de processibus Sagarum appellatum, primò in Germania, postea Posnaniæ 1647. Impressum. Dignus equidem liber hic, qui à judicibus Consiliariisq; eorum, item à Confessariis reorum, Concionatoribus, cæterisq; legatur, & in defectu Exemplarium, iterum atq; iterum in lucem & utilitatem publicam edatur, ad occurrendum tantis innocentum exustionibus, quantas liber hic ex firmo satis rationum fundamento deducit. Sed & in nostræ Poloniæ partibus, prudenter Judicia Strigum consideranti, plurimi errores facilè patebunt. Scio locum, in quo ob arbores Mercurio exsiccatas condemnata maleficii, (ipsa etiam fatente maleficium ; cujus penitus nec gnara, nec rea extitit) in torturis proclamavit alias novemdecim, quæ omnes exustæ fuissent, nisi quidam peritior Parochus casu ad locum supplicii supervenisset, & re examinata ex illa, quæ princeps sceleris habebatur, ultima in ignem conjicienda erat, Judicibus proposuisset, tanquam damnificam, non verò Sagam esse judicandam, cum naturaliter sine condictamine Dæmonis, Mercurius arbores vitiare possit. Sic 16. à rogo proximo liberavit, quo jam ante illius adventum fortuitum 4. exustæ erant. Si Judex ille, licet ex numero Nobilium, immò in dignitate constitutus fuerit, tam temerè Judicavit, quid dicendum de Judicibus ex plebe inerudita villarum, oppidorum assumptis, & tamen sæpè talibus hæc Judicia committuntur. Nuper in Diœcesi Pomeraniæ rusticus vir quidam simul & impius: tantam sibi fidem conciliaverat, ut per vicos duceretur ad cognoscendas Sagas: Spiritum enim se habere discernendi eas asserebat. Similibus probationibus Judicia formari solent. Verùm his enumerandis integro volumine res indigeret, quisq; prudens tenuiter processus inquirens, intentum facillimè deprehendet. Interim hæc præmonuisse, cedat*

A. M. D. G.

XII. / X. J. Gedan:

Biblioteka Jagiellońska
stdr0022286